



Q. D. B. V.

## PROOEMIUM.



**V**aria in hoc Mundi universo  
occurrunt, quæ Naturæ sunt  
artificia, & quæ contemplando  
hominem in maximam dedu-  
cunt admirationem: Nihil au-  
tem ferè est, quod magis hoc  
præstat & ad Summi Opificis  
contemplationem elevat, quàm  
stupendum illud ac ferè inæsti-  
mabile artificium Margarita scilicet, quâ nullibi repe-  
ritur, quicquam splendidius, nihil pretiosius, nihilque  
amabilius. Et certè omnem artificum industriam Na-  
turam superâsse videmus in efformandis margaritis,  
in quibus tantam offendimus nitorem, tantum in illis  
splendorem, tantam rotunditatem atque perfectionem  
summam, ut nulla fermè ars analogum quid produ-  
cere possit. Frustra autem tantas qualitates externas  
& absque notabili effectu non creavit Conditor omni-  
um DEUS, sed peculiarem etiam indidit Margaritis  
efficaciam in depellendis morbis, confortandis vi-  
ribus, spiritibusque recolligendis, hinc communiter



nil nisi pulveres perlati & medicamenta ex Margaritis præparata desiderantur ab ægrotantibus, & tanti ab iisdem æstimantur, ut absque his pauci se posse convalescere, firmiter sibi persvadeant. Hinc loco Speciminis Inauguralis Margaritarum historiam earumque usum Medicum, eâ, quâ fieri poterit, brevitate, explicare animum induxi. Assistat ex alto Divinum Numen meis conatibus gratiosô suô auxilio.

### Thef. I.

**V**Ox Margarita non est latina, sed originem ducit à Græcis: qui eam dicunt τὸ μάρμαρον, ἢ μάρμαρα, ἢ μαργαρίτης & ἰ μαργαρίτης, uti refert Rolfinc. Diff. Chym. 3. c. 1. Hoffmann. in Pharm. Med. Chym. Schrœd. Præterea & alia sortitur nomina, inter quæ communiora sunt Unio, Perla, annotante Hoffm. de Med. offic. Boët. à Boodt de Gem. Jonston. Tavmatograph. Class. 8. c. 17. & Rolfinc. quod posterius vocabulum in Foro medico jam satis usitatum est; Unionum nomine etiam versant margaritæ apud Lang. Epist. med. L. 2. Rolfinc. l. c. sed hoc nomen tantum majoribus competere Auctor est Garz. ab Horto hist. arom. Lib. 1. c. 57. Boët. à Boodt l. 2. c. 36. Schrœd. Pharm. Med. Chym. L. 3. c. 7. Gallis usitato nomine dicitur margarita une Perle, Italis Perla, Hispanis la Perla, Germanico idiomate eine Perl. Reliquas appellationes ad examinandum Curiosioribus relinquimus.

### Thef. II.

Quid propriè sint Margaritæ, adhuc inter Eruditos disceptatur, alii eas ad lapides & gemmas referunt, Cardan. de rer. variet. L. 5 & Rolfinc. l. c. lapidibus similes judicat, aliis sunt veluti nuclei concharum ref. Jonston. l. c. aliis ovula, quæ ex se ipsis producant conchæ: Alii pro corde, medulla conchæ & alii pro partibus ossis in carne hærentibus habent, quibus opinionibus non subscribit Aldrovand. de Testac. Lib. 3 c. 47. Inter res marinas illas Plinius hist. nat. L. 37. c. 4. numerat.

Ali-